

## XXXVI.

Epitaphium super Adam.

Si mors concludi posset per verba sophistae,  
 Conclusisset ei tumulus quem continet iste,  
 Cui semel opposuit mors et conclusit eidem,  
 Non poteras igitur dicere: non sequitur.

## XXXVII.

Invida mors! quid agis? mors invida vilia tollis

Omnia praecipitans, maxima cum minimis.

Parcere debueras, mors inproba, Theoderico.

Theodericus erat, quem tegit iste lapis;

5 Ille peritus erat lapides quadrare, polire,

Quamlibet in formam vertere materiam.

Nunc cinis est, homo qui fuerat, nunc vermibus esca;

Nunc opus artificis conprimit artificem.

## XXXVIII.

Ingrederis Ruodolfe, viam, quae nec redeunti

Se facilem neque difficilem se praestat eunti.

Tutus abis moderante tuam virtute phasellum;

Portum pacis habet, cuius tenet anchora caelum.

5 Caelum laudum pascens<sup>1</sup> sua gaudia luctu

Nunc tibi centeno cumulata dat horrea fructu.

Caelum thesauros aperit tibi deliciarum

Balsama praetendens et aromata caelicolarum.

## XXXIX.

Copia si rerum daret incrementa dierum,

Non ego tantillo fuero claudenda lapillo;

Sed nec opes patris poterant, nec copia matris

Qualibet in cura morti sua tollere iura.

## XL.

Cur portam claudis, tu dives papa subaudis;

Sed nummi causa scio quod sit portula clausa.

---

XXXVII. fol. 74a I. XXXVIII. fol. 142a I. XXXIX.  
 fol. 152a II. XL. fol. 158a II.

1) 'pascens' c., verb. von W. W., der hinzufügt, dass diese Verbesserung noch nicht genügt.